

Thorell, T. 1875. On some spiders from New-Caledonia, Madagascar and Réunion. Proc. zool. Soc. Lond. 1875: 146-148.

Cynathea vinsoni (Thorell, 1875)

MISUMENA VINSONII, n. sp.

Cephalothorace rufescenti-fusco, granulato, posterius fortiter elevato, longitudine patellam, tibiam et metatarsum quarti paris conjunctim æquante; oculis lateralibus tuberculo obtuso impositis; pedibus cum palpis testaceis, metatarsis apice cum tarsis infuscatis, tantum subter in tibiis et metatarsis aculeis brevissimis armatis; abdomine subpentagono, flavescente, in lateribus ad longitudinem, postice vero transverse rugoso, his rugis nigro-punctatis, supra punctis 5 majoribus nigris notato.

♀ adult. (?) Long. circa 10 millim.

Fœmina. Cephalothorax æque latus atque longus, $4\frac{1}{2}$ millim., patellam + tibiam + metatarsum quarti paris longitudine æquans, lateribus partis thoracicæ fortiter et amplissime rotundatis, antice sensim (et sinu levi mox pone oculos) angustatus, fronte leviter rotundata, $2\frac{1}{4}$ millim. lata, margine postico leviter rotundato et in medio paullo emarginato; pone medium altus valde, pæne gibbosus, a latere visus dorso anteriora versus ad oculos secundum lineam leviter concavo-curvedam sensim proclivi, postice secundum lineam pæne rectam, modo levissime arcuato- (convexo-) curvatam declivi, hac declivitate postica sat longa et prærupta, fere plana, lævi et nitida, fovea media ovata sat magna; præterea granulis parvis nitidioribus sat densis scaber est cephalothorax, impressionibus cephalicis parum expressis, rufescenti- vel testaceo-fuscus, fascia transversa clariore subtestacea inter oculos; oculi laterales bini tuberculo obliquo obtuso impositi (hoc tuberculo non acuminato neque in spinam producto); clypeus fere directus, altitudine dimidiam areæ oculorum mediorum longitudinem non multo superans. Sternum subovatum, antice leviter truncato-emarginatum, subtestaceum. Area oculorum triangulum antice truncatum format fere; series antica fortiter recurva est, postica, desuper visa, leviter modo recurva; oculi laterales antichi reliquis oculis non parum majores sunt, medii postici paullo minores quam laterales postici, qui pæne æque magni sunt atque medii antichi. Area oculorum mediorum rectangula,

circa $\frac{1}{4}$ longior quam latior; oculi medii antici vix vel parum longius inter se quam a lateralibus anticis remoti, hoc intervallo oculi medii diametro circiter quadruplo majore; medii antici longius a mediis posticis quam a margine clypei remoti; oculi laterales intervallo disjuncti, quod paullo minus est quam spatium inter oculos anticos laterales et medios, et pæne duplo minus quam spatium inter medios anticos et posticos; oculi medii postici paullo longius a lateralibus posticis quam inter se distantes. Mandibulæ longitudine tibiam quarti paris (patellis anterioribus breviores) basi tibiam primi paris crassitie saltem æquantæ, versus apicem sensim angustatæ, tamen apice sat late truncatæ, non in margine exteriori sinuatæ, in dorso sat fortiter convexæ, ipsa basi fere planæ, ibique in latere exteriori subelevato-marginatæ; tenuiter rugulosæ et transverse substriatæ, pilis brevibus sparsæ, rufescenti-fuscæ, apice intus longius pilosæ, marginibus sulci unguicularis dense ciliatis; unguis brevis, fortiter curvatus. Maxillæ longæ et angustæ, plus duplo longiores quam latiores, in latere exteriori leviter sinuatæ, apice rotundatæ, testaceæ, in labium iis pæne duplo brevius, oblongum, in lateribus leviter rotundatum, versus apicem rotundato-acuminatum sensim angustatum leviter inclinatæ. Palpi breves, crassitie metatarsorum, aculeis brevibus sparsi, pilosi, testacei; pars tarsalis versus apicem obtusum sensim angustata, parte tibiali vix dimidio longior. Pedes testacei, metatarsis apice late cum tarsis infuscatis; anteriores longi et fortes; omnes granulis parvis, suum quoque pilum brevem appressum gerentibus dense scabris, remanentibus tamen supra in femoribus, patellis, tibiis et metatarsis (saltem ad partem) vittis binis sat latis lavibus. Femora et patellæ omnes, ut tibiæ et metatarsi posteriores, aculeis carere videntur; tibiæ anteriores subter versus apicem aculeos paucos, omnium brevissimos, in series binas ordinatos habent, metatarsi anteriores subter series duas in medio abruptas aculeorum brevium nigrorum ostendunt, circiter 6 in utraque serie.

Tarsi anteriores versus apicem late truncatum sensim paullo incrassatæ. Pedes primi paris 16 millim. longi (patella cum tibia $5\frac{1}{2}$, tibia $3\frac{1}{5}$ millim.); secundi paris fere $15\frac{1}{2}$, tertii 8, quarti paullo plus 9 millim.; patella cum tibia quarti paris 3, tibia pæne $1\frac{2}{3}$ millim. Abdomen subpentagonum, postice utrinque subangulatum; antice truncatum est, tum lateribus subrectis ad circa $\frac{2}{3}$ longitudinis gradatim paullo dilatatum, deinde lateribus leviter rotundatis angustato-acuminatum, hac parte postica rotundato-declivi; circa $5\frac{1}{2}$ millim. longum et latum, in lateribus ad longitudinem, in declivitate posticu transverse sat dense sulcatum, his sulcis punctis nigris impressis sat densis, hic illic in lineis confluentibus, notatis; dorsum punctis ejusmodi minutis sparsum est, anterius vero et in medio puncta 5 majora nigra ostendit, quarum 4 posteriores in rectangulum subtransversum ordinatæ sunt; ad ipsum marginem anticum series transversa punctorum ejusmodi parvorum adest. Venter subtetaceus, basi nigricans; loco vulvæ callus transversus ferrugineo-fuscus adest. Mamillæ posticæ cylindratae, multo angustiores et paullo longiores quam anticæ, quæ crassæ et conicæ sunt; mamillæ mediæ fere duplo angustiores et breviores quam posticæ.

Mas ignotus.

Patria. Madagascar, ubi hanc speciem detexit cel. Alf. Grandidier.

This species is no doubt closely allied to *Thomisus tripunctatus*, Lucas*; but I do not think that it is identical with that West-African species. In *Th. tripunctatus*, according to Lucas, the cephalothorax is prolonged on either side anteriorly (between the lateral eyes) into "a very sharp spine," the mandibles are constricted or sinuated on the outer side towards the apex, and the third pair of legs are longer than the fourth pair &c., which is not the case in the above-described Spider from Madagascar, kindly sent me by Dr. Vinson.

In naming this Spider after Dr. Vinson I only utter a feeble expression of my respect for his scientific merits and my thankfulness for the kindness he has shown me.